

Fabricius Tom. XII. Bibl. Græca p. 372. de numero Novellarum Justiniani hæc habet. *Novellarum, quæ Græcæ maximam partem, pauca Latine, vel utraque lingua a Justiniano promulgatæ sunt, diversus numerus, diversus ordo est in diversis editionibus, & versioibus. Matthæus Blastares non pauciores, quam LXX. commemorat. Recentes post Contium editiones, & verso consultissimi Hombergii exhibent Constitutiones CLXVIII. Authentica tantum XCIX. Epitome Juliani CXXV. Haloander Græcæ pauciores dedit, minusque integras: Scrimgerus plures, & integrioris. Sunt & nonnulla inserta Justiniani Edicta, & Novellæ Justiniani, atque Tiberii qui Justiniano successit: necnon ex ἐπιφανῶν deprompta Edicta præfectorum Prætorio. Hæc Fabricius: qui Novellas a Justiniano utraque lingua editas hæc recenset, IX. XI. XVII. XVIII. XXIII. XXXIII. XXXIV. XXXV. XL. XLII. XLV. XLVI. CXXVIII. CXLIII. Edicta Novellis inserta, VIII. CXI. CXXII. CXXXVI. Justiniano has Novellas tribuit CXL. CXLIV. CXLVII. CXLIX. Tiberio Justiniano successori Novellas CLXI. CLXIII. CLXIV. Edicta Prætorum CLXV. CLXVI. CLXVII. CLXVIII. A Matthæo Blastare, non pauciores quam LXX. commemorari: Authenticas tantum esse XCIX. In Epitome Juliani CXXV. recenseri. Verum non pauca vel calami, vel memoria lapsu, viro alioqui acutissimo exciderunt: nam idem ipse pag. 399. (ut supra vidimus) in Authenticis Novellas XCVIII. contineri affirmat. Epitomam quoque Juliani, ut modo dicebamus, CXXV. complecti. Matthæus vero Blastares apud eundem Fabricium, in Præfatione ad Syntagma Canonum Legumque Alphabeticum, disertis verbis scribit pag. 370. de Justiniani Novellis: Ἀμετρίαι δὲ δεκάησας ὁ βασιλεὺς ἢ πρὸς τῶν παλαιῶν διατάξεων, νεώτερος ἐβδωμήκοντα ἢ ἑκατὸν ἐπιλοπόνησε διατάξεις, καὶ ἰδίαν ταύταις χώρον ἀπένευκε. Imperator autem veterum nonnullas Constitutionum immutare volens, Novellas septuaginta & centum Constitutiones studiose effecit, & proprium iis locum attribuit. Demum quoad Novellas Justiniano, aut Tiberio tributas, nolim cum viris doctis-*